AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM PARIS. DIE IOVIS 15. FEBRVARII M. IOANNE BEAVCHESNE DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An singulis anni temporibus sua victus ratio?

Corporis œconomia trium facultatum administratione dispensatur. Quę inter se ita sunt affectæ, vt mutuis stent seruenturq; præsidijs. Vitalis, qua pereunte cæterę concidant necesse est, per spiritum, quem ex naturali generat, dispari cum corpore vincit animam. Animalis, ęgris minimùm necessaria, sensum & motum per neruos in totum corpus effundit. At naturalis veluti basis cæterarum, eas tempore, & vsu præcedit. Hæc nusquam non est, tametsi propriam in iecore sedem obtineat. Prima eius opera sunt procreare, augere, nutrire: ex quibus nullum perenne præter vltimum. Nihil viuit, quod non alatur. Fluor triplicis substantiæ hanc affert necessitatem. Quod alit, nutrix est facultas solis partibus similaribus insita, quæ cœlesti vsa calore alimentum quantúmuis dissimile trahit, retinet, & coquit. Si quid verò restet superfluum, separat & excernit.

Materia nutritionis est alimentum triplex, cibus, potus, & spiritus. Hoc si sit temperatum vincitur à calore, & in corporis substantiam facessit citra interitum: non protinus tamen, sed præcedente triplici coctione in ventriculo, iecore, & singulis partibus. Si verò manifesta aliqua qualitate excellat, corpus citra dánum vllum afficit: quin sæpe alterando plurimùm prodest. In cibo medicamentum optimum. Corpus igitur εὔκρατον similibus tantùm seruandum est: δύσκρατον verò contraria victus lege corrigendum, & ab excessu maiore vindicandum.

Corporum discrimina petuntur à temperamento, quod licet primordiorum naturam semper redoleat, plurimas tamen cùm ab externis, tum internis causis sustinet mutationes. Ab his sumuntur ætatum differentiæ, quæ certis annorum spatijs definiri non possunt. Inter illas præcipuum locum sibi vendicant anni tempora elementis, humoribus, & ætatibus analoga. Quorum omnium sol princeps planetarum author est, qui suo motu, lumine, & influxu, aërem variè immutat. Qualis autem hic est, tales sunt in nobis spiritus, & humores: à quibus tandem partes solidæ, quibus insidet humidum radicale, nunquam reparabile, afficiuntur.

Tamen naturarum aliæ ad alia tempora bene aut malè se habent. Itidem ætates, & morbi. Sic ver calidum humidum cunctis est saluberrimum, præterquàm plethoricis & cacochymis. Tùm enim sanguis augescit, & dominatur. Æstas calida sicca biliosis nocet atque iuuenibus: mulieres verò, quæ sunt viris frigidiores, roborat & procaciores reddit. Autumnus, cum sit inæqualis multis est calamitosus, sed tabidis & melancholicis maximè. Imò quosdam malis diutinis fatigatos opprimit, alios longissimis implicat. Frigus hybernum intus quidem auget calorem, sed capiti aduersatur, neruis, senibus, & naturis pituitosis.

Cùm igitur temporum anni κρᾶσις adeò sit dissimilis, non eadam vitæ lex conuenit, sed alterato ab aëre corpori aliqua ἐπανόρθωσις afferenda. Vt autem gratior, sic tutior via est per diætam. Quamobrem tempus hyemale cibum requirit calidiorem & ficciorem, sed copiosiorem, vt & vini potum meraciorem. Vere tenuior victus & frigidior esse debet. Quinetiam morbis imminentibus præcauendis non minùs tum necessaria est inedia, quàm cæteræ vacuationes. Æstate pauca semel offerenda sunt, sed frequentiùs, eaq; humida & refrigerantia. Proinde aqua vino, vt assis elixa præferenda. Neq; primis mensis lactuca aut fructus fugaces abdicandi. Autumnalis appetentia cibum poscit pleniorem, vti potum meraciorem. Sed in naturis melancholicis, ea cautio seruari debet, vt acres cibi crassiorisque substantiæ vnà cum aromatis & salsamentis omnibus deuitentur.

Ergo singulis anni temporibus sua victus ratio.

Proponebat HONORATVS GOMER Cœnomanensis Sillęus anno Domini 1601.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Antonius Quiquebeuf.	*M. Petrus Seguin Prof. Reg.*	*M. Claudius Boyuin.*
M. Jacobus d'Amboyse Med. Reg.	*M. Joannes de Renou.*	*M. Phillippus Harduyn de S. Iacques.*
M. Jacobus Cousinot.	*M. Petrus Pijeart.*	*M. Claudius Fouelet.*